

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXII - N. 1

1990

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

IUNIO 1990

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Ro- tae Romanae coram	3
Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos ac Officiales Paenitentiarie Apostolicae et ad Paenitentiaros Basilicarum Patriarchalium in Urbe coram admissos	8

ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium	11
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De Personis physicis et moralibus » (« De Quaestio- nibus specialibus Libri II » (Sessio VII)	12
II. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso- nis physicis et moralibus » (Sessio VIII)	36
III. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso- nis physicis et moralibus » (Sessio IX)	74
IV. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De perso- nis physicis et moralibus » (Sessio X)	118

* * *

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	167
Notitiae	168

Ex Actis Pont. Comm. C.I.C. Recognoscendo

I

COETUS STUDII

« DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS »

(OLIM: « DE QUAESTIONIBUS SPECIALIBUS LIB. II »)

Sessio VII

(diebus 26-30 aprilis 1971 habita)

Diebus 26-30 aprilis 1971, in Aula huius Pontificiae Commissionis, habita est VIIa Sessio Consultorum, qui Coetus Studii efformant ad recognoscendas normas « de personis physicis et moralibus » (olim « De quaestionibus specialibus Lib. II »).

In conventibus partem habuerunt Rev.mi tres et Ill.mus unus Consultores. Die 30 aprilis sessioni interfuit Em.mus D.nus Cardinalis Pericles Felici, Commissionis Praeses.

Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.


Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a Studiis Commissionis, acta redegit.

Quaestio in hoc studiorum coetu tractanda praevisa erat: de potestate ordinaria et delegata, cc. 196-210 CIC, cui alia addita est quaestio, nempe de natalium illegitimitate quae in diversis locis Codicis invenitur, ubi ex. gr. de matrimonio, de presbyteri et Episcopi ordinatione, de Superiorum Maiorum Religiosorum electione.

Considerata est insuper quaestio de filiis adoptivis deque paternos renovandi possibilitate.

Cum de officiis ecclesiasticis satis disceptatum sit, canonesque pluries recogniti, ad Consultorum coetum quod attinet, approbati sint, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut sermo immediate initium sumat a textu canonum de potestate ordinaria et delegata considerando, quem ipse paravit iuxta indicationes quas in anteacta Sessione de hac materia Consultores ipsi attulerunt.

Idem Rev.mus Secretarius Ad. textus lectionem incipiendo animadvertit agi tantum de potestatis regiminis exercitio et legislativam potestatem non penitus tractari.



Canon 1 (CIC 196)

Potestas regiminis, etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, exercetur sive pro foro externo et interno simul, sive quandoque pro solo foro interno, ita quidem ut effectus quos huius potestatis exercitium natum est habere in foro externo non recognoscantur, nisi postea pro eodem confirmentur.

Rev. mus primus Consultor petit ut adverbium « postea », post « nisi », supprimatur. Rev. mus secundus Consultor difficultatem habet circa expressionem « nisi... confirmentur », et regulam melius exprimi debere censet.

Rev. mus primus Consultor proponit ut dicatur « ...non habentur, nisi in quantum recognoscantur », cui tamen Rev. mus Secretarius Ad. adversatur. Ipse Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « nisi quatenus expresse recognoscantur », dum Rev. mus tertius Consultor praeferret « salva contraria iuris dispositione in determinatis casibus ». Discrepant alii Consultores, qui tamen inter se non sunt concordēs.

Tandem aliquando, post sat longam disceptationem omnes conveniunt in propositione a Rev. mo Secretario Ad. facta, quae ita sonat: « nisi quatenus id pro determinatis casibus iure expresse statuatur ». Ex observatione Rev. mi tertii Consultoris adverbium « expresse » supprimitur, cum in iure semper expresse aliquid statuatur.

Rev. mo tertio Consultori petenti quid in textu expressio « natum est habere » significet, Rev. mus Secretarius Ad. respondet quod « pro natura sua » aequivalet.

Alia longa instauratur disceptatio, an scilicet dici debeat « pro foro » vel « in foro », cuius in fine convenitur ut ad potestatis regiminis exercitium quod spectat dicatur « in foro »; quoad huius exercitii effectus, id est actuum iurisdictionis, dicatur « pro foro ».

« Potestas regiminis, etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, exercetur sive in foro externo, sive quandoque in foro interno, ita quidem... ».

Ideoque dici debet, notat Rev. mus Secretarius Ad. « sive quandoque pro foro interno », quia exercitium in foro externo semper habetur. Rev. mus primus Consultor animadvertit, etiam si actus fit secretus, eundem esse semper fori externi. Aliter sentit Rev. mus secundus Consultor, cui tamen contradicit Rev. mus Secretarius Ad. qui sustinet actum iuridicum esse semper fori externi, etsi effectus ad solum forum internum est limitatus, uti demonstrant canones qui S. Poenitentiarium respiciunt.

Rev. mus secundus Consultor insistit: duo fora dantur, sed una pote-

stas iuridica quae in duobus exercetur; functio quae pro foro interno exercetur est exercitium potestatis gratiosae.

Rev.mus Secretarius Ad. insistit ut dicatur « sive pro foro externo, sive quandoque pro foro interno ». Rev.mus secundus Consultor replicat posse dici, sed non debere, et dicatur sine particula « sive », ita ut habeatur « pro foro externo, quandoque pro gratiis elargiendis pro foro interno ».

Negant firmiter Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor in foro interno tantum actus gratiosos dari.

Tandem aliquando post longissimam disceptationem omnes, Rev.mo secundo Consultore non excepto, conveniunt in textum sic emendatum: « Potestas regiminis etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, exercetur sive pro foro externo, sive quandoque pro foro interno, ita quidem ut effectus quos eius exercitium natum est habere, pro foro externo non recognoscantur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuatur ». Placet omnibus.

Canon 2 (CIC 197)

§ 1. Potestas regiminis ordinaria est quae ipso iure alicui officio ecclesiastico adnexa est; delegata est quae cum persona directe, non vero officii ratione, communicatur.

§ 2. Potestas regiminis potest esse sive propria sive vicaria.

Quoad § 1: loco « adnexa est » dicatur « adnectitur ». Placet.

Post aliquam disceptationem omnes conveniunt ut de delegata potestate dicatur tantum « delegata est quae ipsi personae non mediante officio conceditur » et concedi potest, notat Rev.mus Secretarius Ad., sive a iure sive a persona. Rev.mus tertius Consultor quaerit an distinctio completa sit et quid erit ex.gr. de facultatibus quinquennialibus. Alii tenent distinctionem completam esse.

Quoad § 2: Rev.mus secundus Consultor proponit ut post « regiminis » adiungatur « ordinaria », quia delegatae potestati non applicatur. Placet. Notat Rev.mus Secretarius Ad. opportunum non esse definitionem de potestate propria et vicaria dare, quia res doctrinam respicit. Ill.mus quartus Consultor quaerit curnam mentio fiat de distinctione inter potestatem vicariam et propriam quae potius doctrinae est. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. opportunum, immo necessarium esse distinctionis mentionem facere propter magnos effectus, quos distinctio in exercitio huius potestatis habet, speciatim quoad vicariam quae exerceri debet ad mentem (secundus Consultor) eius qui propriam detinet.

Canon 3 (novus)

§ 1. Potestas regiminis, ratione muneris ad quod exercendum ordinatur, distinguitur legislativa, exsecutiva et iudicialis.

§ 2. Potestas regiminis distinguitur gratiosa, quae nempe exercetur in volentes, et coercens, quae scilicet exercetur in invitos.

Quoad § 1: Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco « ratione muneris » dicatur « ratione functionis », quia verbum « munus » est valde occupatum et in iure fieri debet sermo de auctoritatis functionibus. Sed animadvertit Rev.mus Secreterius Ad. functionem esse munus, sed verbum non esse latinum. Post disceptationem, proponente Rev.mo secundo Consultore, convenitur ut dicatur « ratione muneris fungendi ad quod ordinatur ». Placet.

Quoad § 2: sese refert tantum ad potestatem iudicalem et exsecutivam, non autem legislativam. Et, notat Rev.mus secundus Consultor, necesse est ut adiungatur post « regiminis », « exsecutiva » ad ambitum huius paragraphi praescribendum. Non omnis actus enim qui ad ambitum potestatis exsecutivae pertinet cadit sub distinctione potestatis gratiosae et coercentis; quapropter, idem Rev.mus D.nus proponit ut dicatur: « Potestas regiminis exsecutiva quae exercetur in volentes dicitur gratiosa, quae exercetur in invitos, coercens ». Placet.

Canon 4 (CIC 198)

Nomine *Ordinarii* in iure intelliguntur, praeter Romanum Pontificem, omnes qui, sive modo stabili sive ad interim, praepositi sunt alicui Ecclesiae particulari communitative eidem equiparatae ad normam can..., necnon qui in iisdem ordinaria gaudent potestate exsecutiva, nempe Vicarii generales et episcopales; itemque, pro suis sodalibus, Superiores maiores qui in aliquo Instituto perfectionis clericali ordinaria potestate legislativa aut exsecutiva pollent.

§ 2. Nomine *Ordinarii loci* seu *locorum* intelliguntur omnes qui in § 1 recensentur, exceptis Superioribus Institutorum perfectionis.

Quoad § 1: Rev.mus secundus Consultor notat in textu admissio a coetu de S. Hierarchia ad locutionem « Ecclesia particularis » adiungi « seu dioecesis » et bonum esse etiam hic eundem loquendi modum servare. Habet insuper difficultatem ex modo loquendi in hac paragrapho de stabilitate in officio, quia si stabilitas etsi temporanea desit non habetur officium.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in textu dicatur « etiam si ad interim tantum », loco « sive modo stabili sive ad interim », quod placet aliis. Itemque convenitur non addendum esse verbum « seu dioecesis » post lectionem ex parte Rev.mi Relatoris textus canonum 1-4 a coetu de Sacra Hierarchia propositorum, ubi de Ecclesia particulari agitur deque iis que eidem in iure assimilantur.

Idem Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem movet an paragraphus ista etiam Superioribus Maioribus Institutorum laicalium applicari possit et debeat, scilicet an in textu mentio facienda sit de Institutis clericalibus necne. Rev.mus Relator suam pandit haesitationem ex eo quod aliqua inconvenientia ex ista extensione timet.

Rev.mus secundus Consultor notat in dimissionis processu a religione etiam Superiorissam Religiosam facultatem habere illud faciendi, et rem non esse familiarem tantummodo. Idem Rev.mus D.nus tenet quaestionem terminologicam esse et potius practicam respicere. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem, ad effectum quod attinet, non esse mere terminologicam. Res tamen manet sicuti est.

In fine paragraphi, ante verbum « exsecutiva » ponatur adverbium « saltem » et supprimuntur, proponente Rev.mo secundo Consultore, verba « seu locorum ».

Placet § 1 cum emendationibus propositis et probatis.

Placet § 2.

Canon 5 (CIC 201)

§ 1. Nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet, potestatem exsecutivam gratiosam exercere quis potest extra territorium (ditionem propriam) existens, atque in proprium quoque commodum, itemque in subditos e territorio absentes necnon in peregrinos in territorio actu degentes.

§ 2. Potestatem exsecutivam coercentem exercere quis nequit in proprium commodum aut extra territorium existens; in subditos extra territorium versantes atque in peregrinos in territorio actu degentes eandem exercere tantummodo valet in causis quibus eosdem obligant leges particulares territorii, ad normam can. 14.

Quoad § 1: Textus, uti iacet, postquam deleta est par. 1 can. 201 CIC, aliquam difficultatem facit pro Rev.mo secundo Consultore ex ratione loquendi, si nunc tantum casus exercitii potestatis gratiosae aspiciantur: regula generalis est potestatem iurisdictionis in subditos exerceri; alii casus sunt extraordinarii. Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « pote-

stas iurisdictionis per se in solos subditos exercetur »; tamen ipse proponens huic additioni adversatur quia intelligitur ex natura rei. Rev.mus secundus Consultor praefert ut textus § 1 can. 201 CIC retineatur, deleto verbo « directe ». Rev.mus Secretarius Ad. instat et proponit ut dicatur « itemque in subditos licet e territorio absentes ». Rev.mo secundo Consultori non placet locutio « itemque » quia non est ita amplum obiectum principale iurisdictionis exercitii.

Post disputationem omnes de sequenti textu, a Rev.mo Secretario Ad. proposito, conveniunt: « Nisi ... quis potest in subditos, licet e territorio absentes necnon in peregrinos in territorio actu degentes; item eandem exercere valet extra ditionem propriam existens atque in proprium quoque commodum ».

Notat Rev.mus primus Consultor hodie aegre sonare locutionem « in subditos ».

Ill.mo quarto Consultori non multum placet iurisdictionem gratiosam exerceri in proprium commodum posse. Ex. gr. Episcopus pecuniam sibi-metipso credita concedere posset. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. ad hoc praecise vitandum in textu dicitur « nisi aliud ex natura rei aut ex iuris praescripto constet » et alibi statuitur Episcopum audire debere Consilium a rebus oeconomicis. Caeterum, subiungunt Rev.mi primus Consultor et Secretarius Ad., absonum esset Episcopum, qui alios dispensare potest, pro se ad Sanctam Sedem recurrere debere vel ad alios. Nemo potest dare quod non habet, sed potest quod habet sibi-metipso dare. Considerandum insuper est causam maiorem exquiri pro excusatione quam pro dispensatione et Episcopum in conditione peiore quam aliis esse.

Notat Rev.mus secundus Consultor quaestionem ab Ill.mo quarto Consultore agitatam vere profundam esse ex eo quod spiritum internum iuris respicit in comparatione cum iuribus civilibus modernis. Verum tamen est ius canonicum rem non tantum externam respicere, sed omnibus rite consideratis etiam nostris temporibus, concludit Rev.mus secundus Consultor, Episcopus potest sibi dare quod potest aliis.

Ill.mus quartus Consultor, mentem suam ulterius explicando, dicit distinctionem inter potestatem iurisdictionis gratiosam et illam quae in invitos exercetur nimis in persona physica Episcopi se convertere (italice: « è polarizzata »).

Ex ratione linguistica in utraque paragrafo Rev.mus secundus Consultor proponit ut expressio « in proprium commodum » substituatur cum « commodum privatum ». Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « in causa personali ». Notat Rev.mus Secretarius Ad. semper causam requiri, saltem indirecte, et actum iurisdictionis numquam characterem mere privatum habere. Expressio quae adhibetur in textu est traditionalis et

numquam fuit difficultas atque semper bene intellecta est. Remanet itaque locutio.

Quoad § 2: Rev. mus secundus Consultor difficultatem habet quoad secundum comma quod praeceptum, ad instar legis, tantum respicit, minime autem praeceptum ad instar sententiae, quod e contra includi debet. Contradicit Rev. mus Secretarius Ad. qui praeceptum ad instar legis legem esse. In hac paragrapho non bene, recte et clare res exprimitur; regula in Codice ad praeceptum applicandum desit. Rev. mus primus Consultor proponit ut non tantum de legibus particularibus sermo fiat, sed etiam de legibus generalibus ita ut Episcopus eas possit urgere quoad peregrinos actu in suo territorio degentes; ideoque formula esset: « leges generales aut particulares territorii ». Rev. mus secundus Consultor proponit ut pro secundo commate fiat remissio ad novos canones de praeceptis, ubi distinguendum est inter praeceptum ad instar legis et ad sententiae instar: primum enim characterem territorialem et personalem habere potest ideoque obligare etiam extra territorium. Insistit ut res ad legislationem de praeceptis remittatur.

Rev. mus Secretarius Ad., contra Rev. mi secundi Consultoris sententiam, qui tenet hoc decernendum ad disciplinam de praeceptis remittendum esse, insistit ut aliquid etiam hoc loco dicatur.

Rev. mus secundus Consultor notat forsan dici posse: in subditos etsi extra territorium versantes, in alios (potius quam peregrinos) in territorio actu degentes (potestas in peregrinos non datur simpliciter sed tantum secundum quid); et insuper adnotare etiam peregrinos sub Episcopi auctoritate esse constitutos secundum ordinis publici necessitates. Illi placet formula « si ordo publicus in discrimen vocatur ».

Rev. mus Secretarius Ad., postquam observavit non semper potestatem exerceri in subditos extra territorium versantes, proponit ut dicatur « nisi quantum ordo publicus id requirat » quae tamen formula Rev. mo primo Consultori non placet utpote nimis indeterminata.

Rev. mus secundus Consultor instat et proponit ut idea exprimat potestatem exerceri semper in subditum e territorio absentem, si est per modum praecepti ad instar sententiae, et si est per modum praecepti ad instar legis, si est personale.

Contradicit Rev. mus Secretarius Ad. ex eo quod impossibile est haec omnia in canone introducere. Secundum Rev. mum primum Consultorem referentia ad can. 14 sufficit, ubi haec omnia dicuntur.

Post perlongam disceptationem Rev. mus Secretarius Ad. proponit novam formulam: « exercere potest in subditos, etiam extra territorium versantes, si decreta statuuntur personalia; in peregrinos vero in territorio de-

gentes tantummodo ad executioni mandans tum leges universales tum illas quibus ipsi ad normam can. 14 tenentur leges territorii particulares ».

Ill. mus quartus Consultor proponit ut loco « tenentur » dicatur « applicari debent », sed contradicunt alii.

Rev. mus secundus Consultor proponit ut loco « decreta » dicatur « praecepta », et Rev. mus Secretarius Ad. suggerit ut dicatur « decreta aut praecepta » quia decreta magis lata sunt quam praecepta. Placet totus textus canonis cum hac ultima emendatione.

Canon 6 (novus)

§ 1. Potestas legislativa qua in Ecclesia gaudet legislator non supremus, delegari nequit, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Ad exercitium potestatis iudicialis quod attinet, serventur praescripta canonum de iudiciis.

§ 3. Ad potestatis executivae delegationem quod spectat, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Quoad § 1: Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut post « non supremus » adiungatur « exercenda est modo iure praescripto, atque... » et totus canon ut 5 ponatur.

Post aliquam disceptationem omnes in textu qui sequitur consentiunt: « Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto, atque ea quae in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem supremam delegari nequit, nisi quatenus aliud iure explicite caveatur ».

Quoad § 2: Rev. mus Secretarius Ad. animadvertit in canonibus de iudiciis ad quos textus noster remittit, nihil haberi, quia horum recognitio in coetu de processibus dilata est; tamen aliquid, ad modum principii generalis, posset hic dici. Post congruam disceptationem Rev. mus Relator proponit sequentem textum: « Potestas iudicialis qua vi ipsius iuris aut ex speciali commissione Summi Pontificis gaudent sive iudices sive Collegia iudicialia exercenda est modo iure praescripto, atque delegari non potest, nisi ad actus cuiusvis decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos ».

Rev. mus tertius Consultor quaerit cur in textu non dicatur etiam ex commissione Episcopi, cum Episcopus sit etiam iudex et suam potestatem delegare possit. Respondet Rev. mus secundus Consultor Episcopum restrictam tantum habere potestatem ita delegandi. Regulariter iudicium pertinet ad tribunalia constituta et institui non potest tribunal exceptionale.

Rev. mus secundus Consultor adiungit textum revera aliquam continere restrictionem quoad Episcopi possibilitatem tribunalia specialia vel instantias exceptionales constituendi. Idem valere, notat semper idem Rev. mus D. nus pro Dicasteriis Romanae Curiae, Summo Pontifice excepto.

Concordat Rev. mus primus Consultor iuxta textum huius canonis iure communi excludi Episcopum tribunal extraordinarium vel exceptionale constituere posse; quaerit tamen an hoc sufficiens sit. Affirmant Rev. mi Secretarius Ad. et secundus Consultor, quia ordo instantiarum iure communi definitus est, quo Episcopum tenetur.

Rev. mus tertius Consultor notat in coetu de iudiciis (can. 1572, § 1) regulam servari Episcopum posse iudicare per se vel per alios, et in can. 1570 legi « delegari nequit actus qui decisionem iudicum involvunt ». Notat Rev. mus Secretarius Ad. non delegari actus sed dari delegationem ad actus ponendos. Decretum citationis, ex. gr., est decisio aliqua quae fieri potest a iudice instructore qui est delegatus.

Rev. mus secundus Consultor formulam a Relatore propositam praefert.

Ill. mus quartus Consultor exprimit ideam iuxta quam in Codice fieri non debet mentio de modis extraordinariis exercitii potestatis, sed tantummodo de ordinariis.

Rev. mus Secretarius Ad. alium textum proponit: « Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto, atque ea qua in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem supremam delegari nequit, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur ».

Rev. mus tertius Consultor proponit ut loco « expresse » dicatur « explicite ». Placet.

Ill. mus quartus Consultor declarat se contrarium esse locutioni « nisi quatenus » sed non insistit, cum textus iam gressus repraesentet in conceptum formale legis.

Quaestio igitur agitur de legis conceptu formali qua durante Rev. mus secundus Consultor insistit in novo iure, etiam ad Summi Pontificis actus quod attinet, oportere ut elementa formalia legis statuatur; nam lex Papae tunc tantum habetur si Papa ipsam tamquam legislator apparet edisse. Papa est legislator et non eiusdem organa; inscriptio « Constitutio Apostolica » est nomen proprium pro lege Papae. Hoc modo vitaretur ne ope Instructionum Dicasteriorum omnis Codex mutaretur. Ei consentit Rev. mus primus Consultor.

Animadvertit Rev. mus Secretarius Ad. observationes Rev. mi secundi Consultoris in realitate fundari; attamen aestimat hac in re non esse nimis insistendum, ne in formalismo incidamus: considerandum est enim Constitutionem Apostolicam variis modis dari posse: per Bullam, per Motu Proprio, per Breve. Tandem aliquando exhausta hac quaestione atque pe-

racta disceptatione, omnes conveniunt in primam formulam a Rev.mo Secretario Ad. propositam, mutato tantummodo « delegari nequit ».

Placet § 3, tamen loco « delegationem » dicatur « exercitium ».

Canon 7 (CIC 199)

§ 1. Potestas executiva ordinaria delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Potestas executiva ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest, sive ad actum sive habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio fuerit expresse prohibita.

§ 3. Potestas executiva delegata ab eo qui infra Romanum Pontificem potestatem habet ordinariam, si ad universitatem causarum delegata est, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata est, subdelegari nequit, nisi ex expressa delegantis concessionem.

§ 4. Nulla potestas subdelegata iterum subdelegari valet, nisi id expresse concessum fuerit.

Quoad § 1: Rev.mus Secretarius Ad. quaerit num non expediat dicere « habitualiter » aut « ad universitatem casuum » id est pro omnibus casibus eiusdem speciei. Non expedit locutionem servare « ad universitatem causarum », quia secus possibile esset totam potestatem delegare. Placet locutio « ad universitatem casuum » etiam ex recta contrapositione quae in textu sic habetur cum expressione « ad actum », quae casus determinatos indicat.

Placet § 2, mutato « habitualiter » cum « ad universitatem casuum » et suffecto « executiva » loco « delegata ».

Textus § 3 est Codicis Can. 199 §§ 3 et 4. Rev.mo secundo Consultori non placet expressio « infra Romanum Pontificem » et proponit ut dicatur « qui potestatem ordinariam habet »; tamen Rev.mus Secretarius Ad. ex adverso proponit « ab alia Auctoritate potestatem ordinariam habente »: placet aliis. Loco « causarum » dicatur « casuum ». Placet tota § 3 cum emendationibus acceptatis.

Placet § 4; adiungantur tamen « a delegante » post « expresse ».

Canon 8 (CIC 200)

§ 1. Potestas executiva ordinaria necnon potestas delegata ad universitatem causarum, late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui

tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem potestas exerceri nequit.

§ 2. Ei qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

Placet, mutato « causarum » cum « casuum » et translato termino « delegata » post « casuum » in § 1.

Canon 9 (CIC 203).

§ 1. Delegatus, qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 2. Fines sui mandati excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac in mandato determinatur, ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ipse e delegante uti conditio fuerit praescriptus.

Placet, mutato « excessisse » cum « excedere » in § 2.

Canon 10 (CIC 204)

§ 1. Salvis can. 43 et 44, quod quis superiorem auctoritatem adeat, inferiore praetermissa, non ideo suspenditur inferioris potestas exsecutiva voluntaria, sive haec ordinaria sit sive delegata.

§ 2. Causae tamen ad superiorem auctoritatem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; quo in casu statim Superiorem de re moneat.

Quoad § 1: Adiungitur « gratiosa » post « suspenditur » (secundus Consultor); dicitur « eo quod » loco « quod... ideo » (Secretarius Ad.); supprimitur « exsecutiva » quia iam determinatur per « gratiosa » (tertius Consultor).

Ad clariorem reddendam relationem Superiorem inter et inferiorem, Ill.mus quartus Consultor petit ut recursus vetatur ad Superiorem perdurante inferioris competentia absque causa; nam competentia simultanea ordinem administrativum turbat. Si causae desunt, uti ex.gr., negligentia inferioris, negotii urgentia, prius causa apud inferiorem terminum habere debet, et ab interventus Superioris tempore, si recursus est fundatus, inferioris competentia cessat.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit paragraphum minime recursum sensu stricto respicere, sed tantum negotia quae ad iurisdictionem gratiosam pertinent et res aliter se habere ac in ordine iudiciali. Ideoque ubi de gratiis elargiendis agitur ordo magis requiritur flexibilis; est benevolentia erga Episcopum, si Apostolica Sedes aditur, Ordinarii potestatem

non suspendi. Rev.mus Secretarius Ad. notat normam cum historia convenire. Non agitur de recursu contra inferiorem sed de utriusque, superioris nempe et inferioris, competentia eadem in re. Ill.mus quartus Consultor non insistit.

Alia quaestio movetur a Rev.mo secundo Consultore, nempe de relatione inter auctoritatem superiorem et inferiorem, quae in textu innuitur per referentiam ad can. 43 et 44. Placet quoad can. 43, sed in can. 44 de hac relatione non agitur, quia relatio inter Episcopum et eiusdem Vicarium Generalem eandem auctoritatem respicit, ideoque sufficere videtur tantum referentia ad can. 43.

Rev.mus Secretarius Ad., e contra, retinet referentiam in can. 44 saltem implicitam adesse. Proponit insuper sequentem formulam « eo quod quis competentem auctoritatem adeat alia competente praetermissa » loco « superiorem... praetermissa ». Hic loquendi modus, notat idem Rev.mus D.nus, est aliquantisper contra enuntiationem traditionalem, sed de ea cogitari potest.

Postquam satis disceptatum est, Rev.mus Secretarius Ad. sequentes formulas proponit: « Salvis cc.43 et 44, eo quod quis superiorem auctoritatem adeat, inferiore praetermissa, non suspenditur gratiosa inferioris potestas, sive haec ordinaria sit sive delegata ». Aut: « Salvis cc. 43 et 44, eo quod quis aliquam auctoritatem competentem adeat, alia praetermissa, non suspenditur huius gratiosa potestas, sive haec ordinaria sit sive delegata ».

Et omnibus, secundum disceptationem, consideratis, secunda formula placet cum sequenti emendatione « etiam Superiorem adeat, non suspenditur alius auctoritatis competentis gratiosa potestas » loco « adeat... potestas ».

Placet § 2.

Canon 11 (CIC 205, §§ 2 et 3).

§ 1. Pluribus in solidum ad idem negotium agendum delegatis, qui primo negotium tractare inchoaverit, alios ab eodem agendo excludit, nisi posthac impeditus fuerit aut in negotio peragendo ulterius procedere noluerit.

§ 2. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis, procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta in can. 7 (de personis iuridicis; in Codice, 101), nisi in mandato aliud cautum sit.

Placent §§ 1 et 2.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut 3 § textui adiungatur a § 1 can. 205 Codicis sumenda, tantum ad potestatem executivam ea applicando

(cfr. Relationem anteactae Sessionis, p. 16: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 260) et ideo haberetur: « Potestas executiva pluribus delegata praesumitur iisdem facta in solidum si est gratiosa, collegialiter si est coercens ». Placet.

Canon 12 (CIC 206)

Pluribus successive delegatis, ille negotium expediat cuius mandatum anterius, nec posteriore rescripto revocatum, fuerit.

Placet.

Canon 13 (CIC 207)

§ 1. Potestas delegata extinguitur, expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuerit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata; non autem rescripto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.

§ 2. Actus tamen, ex potestate delegata pro solo foro interno concessa per inadvertentiam positus, elapso tempore aut exhausto casuum numero, validus est.

Quoad § 1: placet, demptis verbis « exhausto numero casuum » primus Consultor utpote expressio nimis quantitativa, materialis et mathematica.

Quoad § 2: tollantur « concessa » (Secretarius Ad.) atque, ut in § 1, « aut exhausto casuum numero ». Placet.

Rev.mus secundus Consultor explicat rationem pro hac praxi esse reservandi Superiori qui delegationem concedit aliquam vigilantiam. Rev.mus primus Consultor pro foro interno vigilantiam non admitteret, quia esset abusus vigilantiae fori externi in forum internum; ceterum res complectitur in clausola de expleto mandato.

Ill.mus quartus Consultor notat normas desiderari ad delegationem concedendam, et actus potestatis executivae coercentis numquam delegari debere; problema insuper movet de delegationis acceptatione deque eius validitate.

Rev.mus Secretarius Ad. ad delegationis concedendae normas quod attinet, dicit numquam ad validitatem ponendas esse. Rev.mus primus Consultor opinatur ideas Ill.mi quarti Consultoris ubi de decretis et praeceptis sermo est locum suum habere; ad potestatem coercentem quod attinet de se scripto fieri debet.

Canon 14 (CIC 208)

§ 1 Ad normam can. 183, § 2 (can. 1, § 2 de amissione officii ecclesiastici, in textu recognito), potestas ordinaria non extinguitur resoluta iure concedentis officium cui adnexa est; cessat amisso officio.

§ 2. Nisi aliud iure expresse caveatur, suspenditur potestas ordinaria officio adnexa, si contra decretum amotionis ab officio institutus est recursus administrativus.

Quoad § 1: Rev. mus secundus Consultor proponit ut simpliciter dicatur: « Potestas ordinaria extinguitur amisso officio cui adnectitur ».

Placet.

Quoad § 2: Post congruam disceptationem ex propositione Rev. mi secundi Consultoris omnes consentiunt ut post « si » adiungatur « intra tempus iure praescriptum » et in fine paragraphi adiungatur « aut actio iudicialis ad tribunal administrativum ». Bene est ut dicatur « actio iudicialis » quia indicatur, notat Rev. mus primus Consultor agendum esse per causas et non ex discretione. Loco « institutus est » dicatur « instituitur ».

Rev. mo secundo Consultori petenti ut norma ponatur circa terminum pro recursu interponendum, Rev. mus Secretarius Ad. respondet melius esse ut, ubi sermo est de procedura administrativa, tractetur. Rev. mus secundus Consultor notat insuper nihil in Codice adesse de recursus administrativi effectibus et solummodo agi de recursu contra decretum qui est in devolutivo et, si iudicialiter per sententiam, est in suspensivo.

Placet § 2. In § 4 can. 9 de amotione ab officio, adiungatur « salvo can. 14, § 2 de potestate ordinaria et delegata ».

Canon 15 (CIC 209)

In errore communi de facto aut de iure, ex facto scilicet publico probabiliter contingente, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia, pro foro tum externo tum interno, potestatem regiminis executivam, itemque facultatem ad assistendum matrimonio necnon ad confessiones audiendas requisitam.

Difficile est, notat Rev. mus Secretarius Ad., definire quid sit error communis de quo in indefinitum disceptari potest, melius est insuper simpliciter dicere « de iure » sine addita explicatione eam remittendo ad auctores. Rev. mus secundus Consultor animadvertit factum non debere esse publicum. Omnes Consultores consentiunt ut dicatur tantum « in errore communi de facto aut de iure », demptis verbis « ex facto scilicet... con-

tingente ». Rev. mus secundus Consultor difficultatem habet ex locutione « itemque facultatem... audiendas requisitam », quia matrimonio adsi-
stentia est actus iurisdictionis et potestas qua in ordinatione presbyterali
traditur per se non sufficit ad confessiones audiendas, debet enim accede-
re aliud elementum quod ab auctoritate traditur, et in tota traditione nec-
non in Codice iurisdictionis in poenitentem vocatur.

Respondet Rev. mus Secretarius Ad. potestatem in confessiones au-
diendas exercitam ordinis esse et non iurisdictionis, etsi per aliquam licen-
tiam ad validitatem ligatam; ideoque per se potestatem quae in ordinatio-
ne traditur sufficere.

Negat instanter Rev. mus secundus Consultor: formula absolutionis a
theologis et a permultis canonistis iam a variis saeculis recte non compre-
henditur; amplius relatio inter presbyteri absolventis actum et Ecclesiam
non percipitur. Sacramenti poenitentiae administratione homo peccator
cum Ecclesia reconciliatur; reconciliatio cum Ecclesia, theologice loquen-
do, est signum efficiens pacem cum Deo, uti loquitur Constitutio concilia-
ris *Lumen gentium*.

Rev. mus Secretarius Ad. animadvertit in *Lumen gentium* sermonem
esse de homine in peccato mortali qui ad corpus at non ad animam Eccle-
siae pertinet: homo reconciliatur cum Deo et ideo cum Ecclesia.

Ill. mus quartus Consultor proponit ut deleantur verba « idemque... re-
quisitam »; est enim quaestio quae maximum momentum habet, ad quam
vero tractandam hic non est locus proprius.

Concordat Rev. mus Secretarius Ad. sed proponit ut ubi de poeniten-
tia deque matrimonio agitur expresse dicatur normam huius canonis ap-
plicari.

Rev. mus primus Consultor discrepat, quia communis est regula, cum
aliquid positivum fiat ab Ecclesia in variis illis casibus. Et praefert ut tex-
tus remaneat prouti iacet.

Ad locutionem « supplet Ecclesia » quod attinet, Ill. mus quartus Con-
sultor praefert ut dicatur « actus a iure sanantur »: terminus « Ecclesia »
est valde genericus. Contradicunt alii Consultores, quia huius sanationis
fundamentum praecise est Ecclesia (secundus Consultor) et actus in sup-
pletionem non sanatur, quia agitur de quadam a iure delegatione (Secreta-
rius Ad., primus Consultor). Sanatio aliquid deficere praesupponit et fit
postquam actus, qui est invalidus, positus est, ita ut validus evadat (secun-
dus Consultor).

Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut nova paragraphus in canone po-
natur huius tenoris: « In casibus in § 1 praevisis, Ecclesia supplet faculta-
tem ad assistendum matrimonio necnon ad confessiones audiendas re-
quisitam ».

Remanet libera disceptatio, notat Rev. mus Secretarius Ad., iuxta optata Rev. mi secundi Consultoris de huius potestatis natura.

Ill. mus quartus Consultor notat magis logicum esse istas difficultates ad sua loca remittere; nam, in titulo de quo tractatur, numquam de institutis canonisticis particularibus sermo institutus est.

Systematica vult ut hoc argumentum ubi de matrimonio deque poenitentiae sacramento sermo est tractetur.

Respondet Rev. mus Secretarius Ad. minime de applicationibus tractari sed de principii affirmatione.

Placet textus a Rev. mo Secretario Ad. propositus (Rev. mo secundo Consultori non excepto), qui uti § 2 huius canonis ponitur.

Alia a Rev. mo Secretario Ad. ponitur quaestio generalior: quae hic dicuntur tantum de potestate executiva dicta sunt, et quaerit an etiam pro legislativa et iudiciali potestate valere possint, qui in casu canon in initio, post can. 4, transferendus esset.

Negat Ill. mus quartus Consultor canonem legislativae et iudiciali potestati applicari posse. Esset enim abnorme, quia omne fere de competentia dubium etsi positivum et probabile in Superioris et auctoritatis favorem resolutum esset, magno cum iuris personae detrimento.

Concordant Rev. mi primus Consultor et Secretarius Ad., qui ultimus animadvertit tamen in Codice res non restringi. Rev. mus secundus Consultor tenet applicari tantum ad potestatem executivam gratiosam, quapropter proponit ut in textu id expresse dicatur, adiugendo post verbum « regiminis », verbum « gratiosam ». Placet omnibus.

Rev. mus tertius Consultor quaerit num non expediat hunc canonem etiam ad dominativam potestatem applicare, atque si sit opportunum hoc dicere.

Rev. mus Secretarius Ad. opinatur illam quaestionem esse tractandam ubi de religiosis agitur.

Rev. mus primus Consultor notat ubi de religiosis sermo est Codicem de potestate quam Superior exercet loqui, numquam autem de potestate dominativa. Res uti erat manet.

Canon 16 (CIC 210)

Exercitium potestatis ordinis, officio adnexum aut personae commissum, aliis demandari nequit, nisi id expresse fuerit aut iure aut indulto concessum.

Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut ad canones de Sacramentis in genere transferatur vel saltem mentio de re fiat ubi agitur de confirmatione. Rev. mo secundo Consultori petenti qui sint « aliis », de quibus in textu

sermo fit, respondet Rev. mus Secretarius Ad. eos esse qui non habent exercitium huius ordinis potestatis. Post aliquam disceptationem omnes conveniunt ut canon deleatur.

Explicit hoc modo materia in hac Sessione tractanda.

Rev. mus Secretarius Ad. aliquas quaestiones proponit, quae ad hunc Consultorum Coetum demandatae sunt ut, rite perpensis quae iam in Coetu de Sacra Hierarchia deque Religiosis de hac re disceptata sunt, necnon attento universo iurium et iuridicarum facultatum filiorum illegitimatorum problemate in ordine canonico, Coetus votum suum exhibeat. Quaestiones sunt: de illegitimitate natalium, de infantibus adoptivis, deque possibilitate paternos renovandi.

A) DE ILLEGITIMITATE NATALIUM

Quaestio haec, scilicet utrum ratione illegitimitatis natalium christifideles priventur certis iuribus aut habilitatibus, in variis partibus legislationis ecclesiasticae ponitur. Ita ponitur quaestio ad iuridicam christifidelium conditionem quod attinet, item ad requisita pro sacra ordinatione quod spectat, atque etiam ad requisita pro certis provisionibus quod attinet. Oportet igitur ut habeatur uniformis norma, quae variis materiis applicari possit.

Ad nostram Commissionem — ita Rev. mus Relator — nonnullae pervenerunt petitiones et propositiones, sive directe sive per Secretariam Status missae, propositiones scilicet quae optata exponunt sive ad illegitimitatem natalium quod attinet sive ad filios adoptivos quod spectat.

Propositiones miserunt « Associazione Nazionale Famiglie Adottive ed Affilianti » (Torino), « Association Française Familiale des Foyers adoptifs », « Comité international d'Entente des Associations de Foyers adoptifs » (Paris), necnon quaedam personae privatae.

Hucusque in diversis coetibus de illegitimitate natalium quaestio fuit.

Coetus Institutis Perfectionis « unanimiter desiderat ut in novo Codice de illegitimitate natalium omnino sileatur: cum hodie leges civiles nullum pondus tribuere soleant illegitimitati neque alia ex parte filii puniendi sint propter peccatum parentum ».

Coetus de Sacramentis quaestionem tractavit utrum illegitimi habendi sint irregulares ex defectu ad sacros ordines recipiendos (scilicet utrum servanda sit norma CIC can. 984, 1°). Post discussionem, praevaluit opinio, secundum quam haec irregularitas servanda est, ad sanctitatem matrimonii tuendam. Maioritas Consultorum aestimavit irregularitatem esse servandam. Alii tamen censuerunt eandem esse supprimendam, quia di-

gnitas matrimonii momentum habet pro Sacramento matrimonii, non autem pro Sacra Ordinatione; insuper hodiernis in adiunctis aestimari potest hanc irregularitatem haberi posse offensivam pro personis; tandem, cur servanda sit irregularitas a qua semper dispensatur?

Coetus de Sacra Hierarchia quaestionem examinavit agendo de recognitione can. 331, § 1, 1, scilicet de idoneitate ut quis in Episcopum assumatur. Omnia argumenta pro et contra funditus considerata sunt.

Conclusio autem disceptationis fuit in legislatione recognita mentionem fieri non debere de requisita legitimitate natalium, et ut numerus 1 § 1 can. 331 sit: « Ut quis idoneus habeatur, debet esse: 1^o bona existimatione gaudens; ... », scilicet requiritur ut bona existimatione gaudeat, omnibus inspectis adiunctis, etiam familiaribus.

Rationes, quae adductae sunt, sunt sequentes:

- si candidatus aliquis reiiciatur, omnes scient eum illegitimum esse: haberetur exinde diminutio famae;
- Ecclesia privari potest optimis Episcopis;
- conscientia socialis hodierna non amplius admittit hanc discriminationem;
- non sustinetur ratio ob quam historice hoc impedimentum existit, nempe propter maiorem propensionem ad libidinem;
- per hoc impedimentum non consulitur matrimonii Sacramenti dignitati et sanctitati, quod fieri debet in legislatione de matrimonio;
- differentia inter filios legitimos et illegitimos est merum factum et habet effectus tantum in ambitu familiae, non tamen extra ipsum;
- ex eo quod ius civile non semper effectus tribuit illegitimitati, admiratio provocaretur et confusio, si ius canonicum eosdem tribuat;
- hodie, per divortium fere ubique introductum, permulti filii adulterini habentur.

Ob illas rationes, requiri videtur ut legislatio mentionem non faciat de requisita legitimitate natalium. Sufficit ut in examine de qualitatibus promovendorum, — quod examen semper locum habet — inquiratur de fama candidatorum, omnibus inspectis adiunctis, etiam familiaribus, ita ut, si aliquando reapse illegitimitas bonam famam laedat, amoveri possit candidatus. Hac agendi ratione insimul consulitur aliis casibus, ex.gr. filii legitimi, qui tamen bona existimatione non gaudet sive propter divortium parentum, sive propter defectum moralitatis parentum, sive aliam ob causam.

Coetus de Personis physicis et moralibus, iterum de quaestione trac-

tans, accipit rationes a Coetu de S. Hierarchia prolatas et ad eandem devenit conclusionem. Aliae insuper rationes adduntur, inter quas haec quae sequitur: ratio ob quam historice introducta est disciplina excludens illegitimos etiam est punitio parentum, atque voluntas excludendi filios presbyterorum (ita Rev.mi tertius et secundus Consultores). Sed illae rationes omnes non valent, et certo praevalet alia ratio, scilicet exclusionem alicuius ob illegitimitatem eiusdem bonam famam laedere.

Etiam Rev.mus primus Consultor qui in Coetu de Sacramentis affirmavit necessitatem servandi exclusionem filiorum illegitimorum, declarat se rem iterum considerasse atque ad conclusionem devenisse quae sequitur: hodie dici non potest exclusionem illegitimorum multum conferre ad affirmandam sanctitatem matrimonii; praevalens certo est ratio per hanc exclusionem laedi posse bonam famam personarum; et ideo et ipse aestimat mentionem non esse faciendam in legislatione de requisita legitimitate natalium.

Post congruam disceptationem ad formulationem sequentis propositionis unanimiter pervenit Coetus: « ut aliquis ad... admittatur non fiat mentio de eius illegitimitate, sed constare debet ut sit bona aestimatione gaudens, omnibus adiunctis etiam familiaribus inspectis ».

Norma haec applicanda proponitur ad varias materias legislationis ecclesiasticae.

Non ponitur amplius, igitur, illegitimitas uti irregularitas; tamen eius consideratio in casu particulari suum effectum habere potest: in processu informativo videre debetur etiam de natalium legitimitate, ita ut propter particulares circumstantias quis possit arceri ex defectu natalium legitimitatis, cum scilicet agitur de facto ex quo laeditur bona aestimatio candidati; et sic consulitur diversitati situationum diversarum regionum.

Neque loquendum est in Codice de filiis adulterinis et sacrilegis. Etiam de iis videndum est si bona aestimatione gaudeant necne.

Caeterum hodie maior populi admiratio oriri potest pro admittendis ad ordines, ex.gr. filiis sacerdotum qui matrimonium contraxerunt cum dispensatione pontificia, per reductionem ad statum laicalem, quam illegitimis.

Quaestio igitur ad aestimationem reducitur. Agitur enim de iurium concurrentia et videtur prae illegitimitate bonam famam candidatorum servandam praevalere. Sic, ex.gr., in can. 987 in primis sermo faciendus est de bona fama, quae in Codice consideratur tantum sub n. 7, ubi de infamia facti agitur.

B) DE ADOPTIVIS

Rev. mus Secretarius Ad. animadvertit de filiis adoptivis etiam tractandum esse et de statu eorum iuridico. Petitiones in hoc sensu ad Commissionem nostram pervenerunt.

Notat insuper necessarium non esse mentionem facere de adoptantibus, v. gr. si adoptantes sunt uniti legitimo matrimonio necne, quia varii casus in praxi dantur. Sunt personae non coniugatae quae adoptant, immo etiam sacerdotes qui pueros adoptaverunt. Neque facienda est quaestio de nomine cum ad nos non pertineat (secundus Consultor). In can. 777, § 2 habetur de nomine quo quis inscribitur in libro baptizatorum. Tamen aliqua clausula praevidenda est ad matrimonium quod attinet.

Post congruam disceptationem consensus est omnium ut mentio fiat in norma de exceptionibus praevisis in cc. 1059 et 1080: impedimentum enim potest esse dirimens aut prohibens, cum recipitur legislatio civilis de hac materia. Ideoque textus qui a Rev. mo Secretario Ad. proponitur sequens est: « Filii, qui ad normam legis civilis nationis adoptati sint, habentur ut filii legitimi eius vel eorum qui eos adoptaverint, salvis cc. 1059 et 1080 ». Placet omnibus.

C) DE POSSIBILITATE PATRINOS RENOVANDI

Quaestio haec est, explicat Rev. mus Secretarius Ad.: saepe filiis illegitimis, qui in nosocomio nascuntur et baptizantur, patrini dantur qui ex ignotis seliguntur. Petitur ut iisdem novi patrini dentur qui eorum christianae educationi consulere possint.

In Coetu de Sacramentis — notat Rev. mus Secretarius Ad. — iam adest textus de patrinis (cf. Relationem Sessionis Vae, pp. 76-77 [publici iuris nondum factam]) et illic adiungendus videtur canon quem idem Rev. mus D. nus proponit: « Si post baptismum collatum patrini deficient, petentibus iis de quibus in can. (ubi indicantur qui possunt petere) infantibus alii dari possunt patrini quorum nomen in libro baptizatorum inscribendum est ». Placet omnibus.

Idem canon inserendus proponitur ubi de confirmatione agitur. Tamen hoc in casu, ex suggestionem Rev. mi secundi Consultoris, adiungendum est confirmandum posse sibi eligere patrinum. Placet.

Ita explicit labor qui erat in hac Sessione a Coetu peragendus.

Romae, 30 aprilis 1971

M. DE NICOLÒ
Adiutor a studiis

CANONES APPROBATI

DE POTESTATIS REGIMINIS EXERCITIO

(CIC: de potestate ordinaria et delegata: cann. 196-209)

Canon 1 (CIC 196)

Potestas regiminis, etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, exercetur sive pro foro externo, sive quandoque pro foro interno, ita quidem ut effectus, quos eius exercitium natum est habere, pro foro externo non recognoscantur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuatur.

Canon 2 (CIC 197)

§ 1. Potestas regiminis ordinaria est quae ipso iure alicui officio adnectitur; delegata est quae ipsi personae, non mediante officio, conceditur.

§ 2. Potestas regiminis ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.

Canon 3 (*novus*)

§ 1. Potestas regiminis, ratione muneris fungendi ad quod ordinatur, distinguitur legislativa, executiva et iudicialis.

§ 2. Potestas regiminis executiva quae exercetur in volentes dicitur gratiosa; quae exercetur in invitos, coercens.

Canon 4 (CIC 198)

§ 1. Nomine *Ordinarii* in iure intelliguntur, praeter Romanum Pontificem, omnes qui, etiam si ad interim tantum, praepositi sunt alicui Ecclesiae particulari communitative eidem aequiparatae ad normam can...; necnon qui in iisdem ordinaria gaudent potestate executiva, nempe Vicarii generales et episcopales; itemque, pro suis sodalibus, Superiores maiores qui in aliquo Instituto perfectionis clericali, ordinaria potestate legislativa aut saltem executiva pollent.

§ 2. Nomine *Ordinarii loci* intelliguntur omnes qui in § 1 recensentur, exceptis Superioribus Institutorum perfectionis.

Canon 5 (novus)

§ 1. Potestas legislativa qua in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem supremam, exercenda est modo iure praescripto, et delegari nequit, nisi quatenus aliud iure explicitè caveatur.

§ 2. Potestas iudicialis, qua vi ipsius iuris aut ex speciali Summi Pontificis commissione gaudent iudices aut Collegia iudicialia, exercenda est modo iure praescripto, et delegari nequit, nisi ad actus cuius decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos.

§ 3. Ad potestatis executivae exercitium quod attinet, servantur praescripta canonum qui sequuntur.

Canon 6 (CIC 201)

§ 1. Nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet, potestatem executivam gratiosam exercere quis potest in subditos, licet e territorio absentes, necnon in peregrinos in territorio actu degentes; item eandem exercere valet extra propriam ditionem existens, atque in proprium quoque commodum (aut: atque suimetipsius quoque respectu).

§ 2. Potestatem executivam coercentem quis exercere nequit in proprium commodum aut extra ditionem propriam existens; eam exercere potest in subditos, eosque, si praecepta aut decreta statuuntur, personalia, etiam extra territorium versantes; in peregrinos autem in territorio versantes, tantummodo ad executioni mandandas tum leges universales tum leges quibus ipsi ad normam can. 14 tenentur particulares.

Canon 7 (CIC 199)

§ 1. Potestas executiva ordinaria delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Potestas executiva ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest, sive ad actum sive ad universitatem casuum, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio fuerit expresse prohibita.

§ 3. Potestas executiva delegata ab alia auctoritate potestatem ordinariam habente, si ad universitatem casuum delegata sit, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata sit, subdelegari nequit, nisi ex expressa delegantis concessionem.

§ 4. Nulla potestas subdelegata iterum subdelegari valet, nisi id expresse a delegante concessum fuerit.

Canon 8 (CIC 200)

§ 1. Potestas executiva ordinaria necnon potestas ad universitatem casuum delegata, late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem potestas exerceri nequit.

§ 2. Ei qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

Canon 9 (CIC 203)

§ 1. Delegatus, qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 2. Fines sui mandati excedere non intelligitur delegatus qui alio modo ac in mandato determinatur ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ipse a delegante uti conditio fuerit praescripta.

Canon 10 (CIC 204)

§ 1. Salvis can. 43 et 44, eo quod quis aliquam auctoritatem, etiam superiorem, competentem adeat, non suspenditur alius auctoritatis competentis gratiosa potestas, sive haec ordinaria sit sive delegata.

§ 2. Causae tamen ad superiorem auctoritatem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; quo in casu statim superiorem de re moneat.

Canon 11 (CIC 205, §§ 2 et 3)

§ 1. Pluribus in solidum ad idem negotium agendum delegatis, qui prior negotium tractare inchoaverit, alios ab eodem agendo excludit, nisi posthac impeditus fuerit aut in negotio peragendo ulterius procedere noluerit.

§ 2. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis, procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta in can. 7 (de personis iuridicis; in CIC 101), nisi in mandato aliud cautum sit.

§ 3. Potestas executiva pluribus delegata praesumitur iisdem delegata in solidum si est gratiosa, collegialiter si est coercens.

Canon 12 (CIC 206)

Pluribus successive delegatis, ille negotium expediat cuius mandatum antea concessum, nec posteriore rescripto revocatum, fuerit.

Canon 13 (CIC 207)

§ 1. Potestas delegata extinguitur expleto mandato; elapso tempore pro quo concessa fuerit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eo acceptata; non autem resoluta iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.

§ 2. Actus tamen, ex potestate delegata pro solo foro interno, per inadvertentiam positus, elapso tempore, validus est.

Canon 14 (CIC 208)

§ 1. Potestas ordinaria extinguitur amisso officio cui adnectitur.

§ 2. Nisi aliud iure expresse caveatur, suspenditur potestas ordinaria officio adnexa, si intra tempus iure praescriptum contra decretum amotionis ab officio instituitur recursus administrativus aut actio iudicialis ad Tribunal administrativum.

Canon 15 (CIC 209)

§ 1. In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia, pro foro tum externo tum interno, potestatem regiminis gratiosam.

§ 2. In casibus § 1 praevisis, supplet Ecclesia facultatem ad assistendum matrimonio necnon ad confessiones audiendas requisitam.

